

vitam iis eripere, aliaque multa potest; cum tamen poena ei deinde fit luenda, male ei omnino haec potestas cedit. Quaelibet ergo potentia, quae habenti damno est, non est veri nominis potentia dicenda; et quodcumque fit iniuste, auctori semper est damno. Hic ad experientiam prouocans Polus, multos, iniuste agentes, felices ac beatos fuisse, et esse, exemplis e rebus nuper gestis conatur demonstrare. Negat contra Socrates, sequi id ex Poli exemplis, cum, qui iniuria tyrannidem occuparit, felix quidem, at nunquam esse beatus queat, magnumque inter vtrumque intercedat discrimen: sibi ita esse persuasum, qui iniuriam infert, si poenas det, miserum; si non det, multo esse miseriores.

Hoc ut demonstret, egregiam ingreditur argumentationem, qua nescio an primus Plato sit usus: ante Socratem certe nullum eius apud Graecos occurrit vestigium. Iniuriam facere turpius profecto est, quam iniuriam pati; si autem turpius, etiam peius: nihil enim nisi quod honestum est, esse bonum potest; et quaecumque sunt turpia, eadem esse mala, necesse est. Pulchra et honesta, aut ob utilitatem, aut ob voluptatem, qua contemplantes afficiunt, pulchra dicuntur; idque in corporum formis, rerum coloribus et figuris quibuscumque, legibus, disciplinis, cernere licet. Quod ergo pulchritudine superat, in eo plus esse aut utilitatis, aut iucunditatis; et quod deformitate vincit ac turpitudine, id plus damni afferre, aut doloris, necesse est. Cum itaque, qui iniuriam infert, non doleat magis, quam cui infertur, adeoque iniuria afficere, propter dolorem, quem affert, dici turpius nequeat; facere iniuriam ideo tantum haberi turpius, quia magis nocet, id est, iniuriam facere plus damni afferre, quam iniuriam pati, recte